ORATIO IN FUNERE INNOCENTII 11. HABITA PER EMANUELEM A SCHELSTRATE...

Emmanuel Schelstrate

Digitized by Google

Digitized by Google

Hüc. 1042.76

Digitized by Google

A1

ORATIO
IN FVNERE
INNOCENTII XI.
HABITA

PER EMANVELEM A SCHELSTRATE

S. T. D.

BIBLIOTHECAE VATICANAE PRAEFECTVM

BASILICAE PRINCIPIS APOSTOLORVM DE VRBE CANONICVM, &c.

ROMÆ, Typis Sacræ Congreg. de Prop. Fide.
Anno MDCXCI.

Superiorum permiſſu.

1042.26

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. DOM.

D. LIVIO ODESCALCO
DVCI CERAE, &c.

EMANVEL DE BELGIO ANTVERPIENSIS

FELICITATEM.

CVM nuper diuturno grauique morbo laborarem, inter varias cogitationes, quæ mentem meam ſubierunt, illa frequentiùs occurrebat, quæ nonnulla opera nondum typis edita, & inter ſchedas meas latentia ſpectabat. Cum enim aliorum exemplo edoctus animaduertiſſem, variam eſſe operum ſortem, quæ poſt Au-

ctorum obitum alijs edenda relinquuntur, & ſæpè ſæpiùs omnem eorum memoriam perire: non parùm ſollicitus eram de ſcriptis illis, quæ vel in editis à me operibus Reipublicæ litterariæ, vel in priuatis colloquijs magni nominis Viris promiſeram. Erat inter illa Oratio à me habita in funere INNOCENTII XI. *Pontificis Maximi auunculi tui, quam, vt fidem meam tibi olim præſtitam liberarem, omninò typis edere debebam. Vbi igitur Diuina miſericordia à morbo recreatus conſueta ſtudia reſumere, & edendis ſcriptis attendere licuit, Orationem hanc prælo ſubijcere, illique breue elogium ſubnectere placuit, vt in* INNOCENTIVM *Maximi nominis Pontificem, cuius beneficijs obſtringor, extaret quidem æternum aliquod grati animi monimentum: in te autem, qui ei ſanguine proximus es, obſequioſi ſtudij teſtimonium. Accipe igitur* PRINCEPS EXCELLENTISSIME *Orationem hanc, eamque ſub nomine tuo in lucem emiſſam fauore proſequere, & patrocinio tuere.*

ORA-



ORATIO
IN FVNERE INNOCENTII XI.
HABITA IN BASILICA VATICANA
DIE XXI. AVGVSTI. MDCLXXXIX.

SI vllus vnquam dies infelix, infauſtuſque illuxit, ille omninò cenſendus eſt (PATRES EMINENTISSIMI) quo INNOCENTIVS XI. ex hac mortali vita vocatus militantis Eccleſiæ curam, adminiſtrationemque dimiſit. Ea namque eſt communis omnium iactura, quam in Optimi, Sanctiſſimique Pontificis mor-

te deflemus, vt de immortali nominis eius laude dicturus, vix loquendi modum præ funeris acerbitate inueniam. Nec parùm me terreret Ampliſſima Apoſtolici Senatus Maieſtas, niſi ageretur de Principe maximo, cuius tam præclara extant in Chriſtianam Rempublicam merita, & erga cuius memoriam tanta eſt omnium Veſtrum reuerentia, & amor, vt nullum dubium mihi ſuperſit, quin à Vobis rudis licèt, & incompta oratio mea patienter excipiatur.

Nota eſt Romani illius Oratoris ſententia, qui Principem ſuum *non ſorte*, vel *caſu*, ſed *diuinitùs* conſtitutum aſſeruit: *non enim*, inquit, *occulta poteſtate fatorum, ſed à Deo ipſo coram, ac palam repertus electus eſt, idque inter aras, & altaria, eodemque loci, quem Deus ipſe tam manifeſtus, ac præſens, quam cælum, ac ſidera inſedit*. Quod homo Ethnicus de Romano Principe dixit, id potiori iure aſſerendum eſt ab homine Chriſtiano, AEterna Sapientia clamante: *Per me Reges regnant, & conditores legum iuſta decernunt*: præſertim cum agatur de Summo Eccleſiæ Principe, quem Sacri Senatus Veſtri ſuffragia poſt aſſiduas ad Deum preces, inter Chriſti aras & altaria Diuino Numine afflante elegere.

Et quidem cum Chriſtiana Reſpublica tot tantiſ-

tiſque malis, periculiſque conflictaretur, *Talis decebat, vt Nobis eſſet Pontifex*, qui *vocatus tamquam Aaron* ad Eccleſiæ regimen accederet, & magnam Nominis ſui expectationem virtutum exemplis ſuperaret. Tam præclara namque fuit de INNOCENTIO ante adeptum ſupremum rerum humanarum faſtigium opinio, vt omnes facilè exiſtimarent, ſi ad illud quandoque euectus eſſet, eum fore Libertatis Eccleſiaſticæ Vindicem, Caritatis Apoſtolicæ Reparatorem, ac Chriſtianæ Reipublicæ Columen. Hæc enim ſpondebant excellentes animi dotes, quæ dum in Sacro Veſtro ordine ſedebat, in ipſo enituère, quaſque hìc commemorare ſuperuacaneum planè videtur, cum Vobis, dum Eccleſiæ clauum tenuit, adeò compertæ fuerint, vt nullo de ijs teſtimonio opus ſit in hoc triſti funere, quod, vt de Magno Principe dictum fuit, *Sine imaginibus & pompa per laudes, & memoriam virtutum* eius apud ſeram Poſteritatem celebre, & magnificum ſemper erit.

Omittam igitur apud Vos commemorare Apoſtolicum ipſius zelum in reſtituendo Diuino Cultu, in reparanda Eccleſiaſtica Diſciplina, in expurgandis corrupti ſæculi moribus, & euellendis ex agro Dominico errorum, & hæreſum zizanijs, vt Sponſam ſuam Eccleſiam Vniuerſam

conſeruaret non habentem rugam, neque maculam, ac ad priſcæ ſanctimoniæ normam componeret Vrbem Sacerdotalem, *quæ per Petri Sedem caput Orbis effecta* nunc *clarius effulget Religione Diuina, quàm* olim *Dominatione Terrenà*. Non referam ſingularem eius ſollicitudinem in prouidendis Eccleſiaſticis munijs, ac beneficijs, quæ ſemper dignioribus conferre ſtuduit, nihil ambientium cupiditati, nihil commendantium fauori tribuens, ſolitus dicere, non perſonæ, ſed muneri à Principe eſſe conſulendum. Mirificam quoquè ipſius erga Ditionis Eccleſiaſticæ populos beneficentiam præteribo, qua difficillimis temporibus eos à pendendis tributis liberauit, & imminuta à ſe centum, & amplius aureorum millibus vectigalia noua detractione leuiora reddidiſſet; niſi vis morbi, temporum conditio, & humanæ gloriæ ac laudis contemptus paternæ eius charitati obſtitiſſent, vt non obſcurè ex vltimis ipſius verbis, quæ morti proximus protulit, licuit colligere. Nihil dicam de profunda animi eius humilitate, de ſumma æquitate, & iuſtitia, de fide, modeſtia, cæteriſque virtutum ornamentis, quibus clariſſimorum Prædeceſſorum ſuorum gloriam eſt aſſecutus.

Vnum tamen eſt, quod præterire omninò non

poſ-

poſſum, rectum ſcilicet, & immotum illud animi robur, quo INNOCENTIVS publico bono intentus, proprium ſemper deſpexit, nulla ſui, ſuorumque habita ratione. Cum enim in ſuprema Principatus dignitate conſtitutus ſibi commoda ſumere, ſuis opes largiri, eoſque honoribus augere pro ſæculi more potuiſſet, tam conſtanti, & perpetuo animi propoſito ab his omnibus abſtinuit, vt numquam ne quidem in extremo vitæ limine carnem, aut ſanguinem reſpexerit. Quæ animi conſtantia admirabilis prorsùs, & ferè Diuina in maximum cedit Sedis Apoſtolicæ decus, quod nulla vmquam ætas delebit, nec vlla poſteritatis obliuione extinguetur. Si enim homines communiter admirantur, & memoria retinent, quæ magna, & præter opinionem ſuam animaduertunt; INNOCENTIVM in primis ſuſpicient, maximiſque laudibus efferent, qui Sedem Apoſtolicam illa animi magnitudine, & conſtantia rexit, quæ nec vitæ commodis efferri, nec imagine mortis perturbari potuit. Excelſum igitur magnumque eius animum reſpicient futuri populi, quos INNOCENTII virtus ad ſe conuertet, & rapiet: neque nomen eius Caucaſi rupibus, aut rapido Gangis curſu retinebitur; ſed quod Romanæ eloquentiæ Princeps numquam

futu-

futurum credebat, fama eius *in reliquas Orientis, & abeuntis Solis vltimas, Aquilonis etiam, Auſtrique partes peruolabit*, ibique maximo cum Religionis Catholicæ ſplendore nominis eius gloria radices aget, & propagabitur.

Accedit namque ad tantæ Virtutis meritum magnitudo Cæleſtium benedictionum, quæ à ſumma in primis INNOCENTII abſtinentia ac animi conſtantia effluxit: inde enim mirabilia illa, quæ recenti omnium noſtrum memoria fecit Dominus, dum Chriſtiana Reſpublica pluribus ac clariſſimis aucta victorijs aduersùs immaniſſimum hoſtem breui annorum ſpatio ampliſſimas Prouincias recuperauit, quas continuatis per duo fermè ſæcula cladibus amiſerat. Victoribus enim Turcis perpetuo rerum ſucceſſu tumidis, ac communi libertati noſtræ imminentibus obſtitere fœderata Leopoldi Cæſaris, Ioannis Poloniæ Regis, Maximiliani Bauariæ Ducis, ac aliorum Catholicorum Principum arma, quibus Vienna Auſtriæ Caput, Romani Imperij Sedes ab extremo arctiſſimæ obſidionis periculo liberata, diſiecti, ac penè deleti hoſtes, patefactumque triumphale iter ad ea, quæ deinde tanta cum Chriſtiani nominis gloria in tot ſecundis prælijs, atque in expugnatione Strigonij, Neoſelij, Budæ, Tauruni, cæ

tera-

terarumque Vrbium, & Oppidorum ſuperioris ac inferioris Hungariæ, Daciæ, & Moeſiæ ſunt conſecuta. Atque hæc omnia tam præclarè, tam feliciter geſta, cum INNOCENTII precibus, conſilio, ſubſidijſque à plaudentium populorum vocibus tribuerentur, ipſe exercituum Deo accepta referebat, cum Regio Propheta ſæpius repetens: *Dextera tua Domine percuſſit inimicum.* Quæ verba, vt perenne grati animi ſui in Diuinam opem monumentum extaret, ijſdem nummis incidi iuſſit, quibus ſacrum bellum tam liberaliter promouit, ac iuuit.

Nec terra tantùm, ſed mari quoquè Chriſtianæ ditionis fines INNOCENTII cura, ſubſidijſque prolati: adiuncta enim ſacro fœderi Venetorum Republica, huic quoquè datus eſt perpetuus victoriarum curſus. Capta primùm Epiri promontoria: recepta ſubinde Dalmatiæ littora: expugnata demùm vetus Achaia, & in ea ſuperati bellicoſi, clariſſimique Græcię populi Lacedemonij, & Athenienſes, à quibus tot pulcherrimę artes ad nos ſunt deriuatæ. Hìc Corinthus, vbi Paulus Euangelium docuit: hìc Patræ, vbi Andreæ glorificatus eſt exitus: hìc Areopagus, vbi Dionyſius fidem ſuſcepit: hìc antiquæ Eccleſiæ ab Apoſtolis, eorumque diſcipulis inſtitutæ, Marty-

ty-

tyrum ſanguine conſperſæ, Patrum natali conſpicuæ, quæ INNOCENTIO Dei opem implorante ex dira Barbarorum tyrannide ereptæ ſunt, & etiamnum auitæ Religionis libertate fruuntur.

Vndè ſingularem Pontificis virtutem, quam Deus tot collatis in Eccleſiam beneficijs rependere voluit, laudabant boni vbique omnes, quorum lætæ perſonabant voces, quibus ei longæuum dierum curſum apprecabantur. Non enim ſe illis temporibus viuere exiſtimabant, quibus, vt ferè ſemper conſueuit, cum regiminis diuturnitate creſcit odium Principatus: ſed quò longius ætatem proferebat, eò ardentiùs INNOCENTIVM amabant, eiuſque vitam in annos differri, lacrymis, gemitibuſque ab Auctore Deo vehementer expoſcebant. Conſpiciebat Orbis Catholicus agmina ſua contra iuratos fidei hoſtes in acie conſtituta, & Ioſue inſtar ſubleuatis in Cælum oculis Diuinum Numen precabatur, ne INNOCENTIVM loco moueri ſineret, *donec vlciſceretur* ſe gens fidelis *de inimicis ſuis*.

Hæc erant publica bonorum omnium vota, dum INNOCENTIVS Cælo quàm terra dignior, graui, & lethali morbo correptus à publicæ rei cura, & adminiſtratione auellitur. Quo quidem in morbo tanta fuit eius patientia, vt licèt grauiſ-

ſi-

ſimis ſæpè doloribus afficeretur, nullum vmquam intolerantiæ ſignum ediderit, nullam querelam protulerit. Tacebat de corporis cruciatibus, dum de rebus animæ ſuæ cum Deo agebat, imitatus Alexandrum Primum Sanctiſſimum Pontificem, qui frequenter inter tormenta rogatus, cur taceret, hoc dignum Martyre reſponſum dedit: *quia tempore orationis homo Chriſtianus cum Deo loquitur*. Vbi autem INNOCENTIVS exitum ſuum appropinquare cognouit, in cæleſtis patriæ deſiderium ſemper intentus nihil frequentius in ſuis ad Deum ſuſpirijs repetebat, qàum Apoſtolicum illud: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*. Et ſi illum infirmitas humana imparem dolori aliquando redderet, rogabat quidem, vt ſi *poſſibile eſſet calix à ſe tranſiret*, ſed ſtatim cum Chriſto addebat: *Verumtamen non mea ſed tua voluntas fiat*. Paratus nimirum ea omnia perpeti, quibus eius patientia par eſſet futura, & confidens, quòd ex maiori corporis cruciatu anima purior ad cæleſtem patriam eſſet euolatura.

Ea igitur fiducia morti proximus erat, qua ſemper Diuinam miſericordiam reſpexerat, ſæpiùs exclamans cum Regio Propheta: *In pace in id ipſum obdormiam, & requieſcam, quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me*. Hæc fuere

re

re vltima INNOCENTII verba, quibus omnium rerum humanarum cura ſolutus Cæleſtem Patriam intuebatur, cuius cum iam ciuem & incolam factum ſperemus, nihil reliquum eſt, quàm vt immortale illud Sedis Apoſtolicę decus perpetuò ante oculos noſtros obuerſetur, & qui rerum geſtarum magnitudine Leonem, Gregorium, & Nicolaum Magnos Pontifices imitatus eſt, Magni quoquè nomen apud Poſteros obtineat.

FINIS.

MEMORIAE. AETERNAE

INNOCENTII. XI.

OPTIMI. SANCTISSIMIQVE. PONTIFICIS

QVOD. MENTIS. MAGNITVDINE. ORBEM. TERRARVM. COMPLEXVS

DIFFICILLIMIS. TEMPORIBVS. REMPVBLICAM. CHRISTIANAM

FELICITER. GVBERNARIT

IVDICIO. INCOMPARABILIS

CVRA. INDEFESSVS. CONSTANTIA. INVICTVS

PROBITATE. MODESTIA. FIDE. AEQVITATE

CVM. MAGNI. NOMINIS. PONTIFICIBVS. COMPARANDVS

LIBERALITATE. IN. SVBDITOS

PARSIMONIA. IN. AVLICOS

ABSTINENTIA. IN. SVOS

PLVRIMORVM. PRAEDECESSORVM. GLORIAM. SVPERGRESSVS

QVOD. PRINCIPATVS. ONERA. SVBIENS. COMMODA. NEGLIGENS

FASTVM. DESPICIENS

IVSTITIA. SECVRITATEM. PVBLICAM. CVRAVERIT

PIETATE. RELIGIONIS. CVLTVM. ADAVXERIT

RESTITVTA. ECCLESIAE. DISCIPLINA

CORRECTIS. DEPRAVATI. SAECVLI. MORIBVS

PROFLIGATIS. ENASCENTIVM. HAERESVM. MONSTRIS.

QVOD. SVA. ET. CHRISTIANORVM. PRINCIPVM. OPE

VIENNAM. A. TVRCARVM. OBSIDIONE. LIBERAVERIT

FIDEM. CATHOLICAM. PRAECLARIS. ADVERSVS. BARBAROS

TERRA. MARIQVE. PARTIS. VICTORIIS

VLTRA. ROMANI. IMPERII. LIMITES. PROTVLERIT

BONI. PVBLICI. AMATOR. PROPRII. CONTEMPTOR

INNOCENTIVS

QVI. SEDIT. ANNOS. XII. MENSES. X. DIES. XX.

ET. CAELO. QVAM. TERRA. DIGNIOR

VIVERE. DESIIT. ANNO. AETATIS. LXXIX. CHRISTI. MDCLXXXIX.

MIRIFICO. SVI. DESIDERIO. VRBI. ET. ORBI. RELICTO.

99 957 108

1042.26
Z

Digitized by Google

Digitized by Google